

de aduersum miserandis experimentis comprobatur. Quam autem hoc ad Parochorum spectet curam satis perspicuum est, ut non sit opus circa illud amplius distineri. Vide infra num. 85.

CAPVT V.

Circa Sacramentum Pœnitentiæ Parochi Indorum qualiter obligentur.

Circa Sacramentum Pœnitentiæ videantur dicta num. 8. & Titulo 12. Cap. 11. pro quo &

Assertio 1. Parochos debere Indos audire, confiteri ex deuotione uolentibus.

71 Dico Primò. Etsi aliquorum sententia sit Parochos non teneri sub reatu mortalitatis culpæ ad audiendas Paracianorum Confessiones, nisi quando illi ad Confessionem similiter obligantur, ut num. 8. vidimus: in Parochis Indorum id nullatenus videtur admittendum: si enim repulsam patientur confiteri ex deuotione volentes, graue scandalum patientur, & horrore similis accessus ad illos ex repulsa concepto, etiam cum obligatio Confessionis instabit, accedere verebuntur. Præterquam quòd cum stabilizanda apud Indos fideli negotium agatur, & de Christianis moribus inducendis, debeantque Parochi ad Confessionis frequentiam exhortari, cooperari re ipsa debent ad ea, quibus talis obtinetur finis aliàs ridiculi exhortatores habendi sunt, & eius, quòd edificare contendunt, destructores. Videntur Doctores, quos adducit P. Escobar Tomo 2. Theol. moral. Lib. 16. num. 608. & 609.

Assertio 2. Et ad ægrotos accurrere, eos similiter audire.

72 Dico secundò. Parochi Indorum, cum ad Confessiones ægrotantium vocantur, accurere citius debent, & tantò celerius, quantò illi longius distant, in aliis scilicet Paraciæ populis, etiam si incommodum non leue sit in itinere ratione temporis, distantia, aut viæ arduæ sustinendum. Circa Parochos generalis illa doctrina est, teneri inquam Sacramenta ad salutem necessaria ministrare cum graui incommodo: an autem si vitæ sit aut fortunarum, sunt qui negant, alij & numero & auctoritate maiores affirmant, qui videri possunt apud P. Bauny Tomo 1. Tract. 10. Quest. 35. P. Baldellum Tomo 2. Lib. 2. Disput. 19. numer. 16. Trullench. Tomo 1. in Decalogum. Cap. 5. Dub. 6. num. 13. P. Petrum Hurtadum Disputat. 144. de Charitate §. 35. Dianam Parte 5. Tract. 3. Resolut. 53. & Bassæum. verb. Parochus. §. 3. Omnes autem videntur supponere graue incommodum non obflare, quando circa grauissima tantum altercantur. Videatur P. Palaus Tomo 1. Tract. 6. Disputat. 1. Puncto 9. Iuxta hæc ergo nullum Parochis restat effugium, si audire Confessionem reuuant periculoso morbo laborantis. Sed erunt fortè qui dicant sententiam esse aliquorum, qui censent obligationem Parochorum tunc tantum vrgere, non obstante vitæ periculo, cum infirmus nequit alio medio salutem æternam consequi; & ita ad audiendam Confessionem non teneri, quando infirmus habere actum contritionis potest, ut ordinariè accidit: nulli enim Deus auxilium pro eo subtrahit instante occasione, & multò magis instante necessitate. Quæ doctrina applicari etiam potest pro

Ex sententia quorundam effugium.

gravi incommodo; quia non videtur consonum ut quis illi se exponat ob iuuandum eum, qui se ipsum potest à periculo liberare.

73 Verùm hæc obflare nequeunt: nam licet opinio multorum sit non teneri quempiam spiritali alterius necessitati cum periculo vitæ, aut graui honoris vel fortunarum iacturâ succurrere, quando ille iuuare se potest, quia non est in extrema necessitate constitutus, ut videri potest apud P. Palaum supra num. 6. & 9. In Parochis tamen aliter res habet, qui tenetur non solum in extrema, sed etiam in graui subuenire, ut aduertit Doctores apud eundem num. 12. quibus addendus Cardinalis Toletus Lib. 4. Cap. 10. num. 4. Licet autem possit quis absolute actum contritionis elicere, non ideo leuis necessitas reputanda est, quando morti proximus Parochum vocat, ut eidem confiteatur: quia præter difficultatem actus prædicti, vtilissima est illi confessio, & tunc indiget maioribus gratiæ prædiis, essetque ipsi grauisimum molestiæ genus periculossimo illo in articulo Sacramenti beneficio priuari: à quâ molestiâ nequit se ipsum eximere, vnde non debet leuis necessitas iudicari. Et ut hoc demus repectu aliorum, in iis, de quibus loquimur, oppositum est indubitanter asserendum. Indi enim, morbi præsertim turbatione concussi, difficillimè poterunt actum contritionis habere, quem exhortatore, & instructore strenuo etiam adnitente, vix erit qui eliciat: quid iam eo penitus destitutus? Hinc est, ut non solum in Parochis, sed in aliis etiam obligationem succurrendi rusticis & ignaris talis obligationis, habendi scilicet contritionem, cum Confessarij copia deest, Doctores agnoscant, etiam cum vitæ periculo, ut videri potest apud eundem Scriptorem num. 6. citato. Ergo id de graui incommodo potiori ratione dicendum, de quo Assertio procedit, & pro quo videri potest Bassæus verb. Charitas n. 18. lit. B.

Præcluditur ex difficultate in Indis habendi actum contritionis. Et etiam ex officij obligatione.

In non Parochis grauius etiam obligatio extat.

74 Dico tertio. Quod ad periculum vitæ, & alia minora spectat, ea, quæ Doctores dicunt, de constitutis in extrema necessitate, sunt Parochis, & Sacerdotibus aliis applicanda respectu Indorum. Constat illud ex nuper dictis. Adde tamen doctrinam eorum sic esse temperandam, ut obligatio vrgeat, quando non obstante periculo, subueniri verosimiliter potest, non autem quando ob periculi certitudinem redditur incerta subuentio. E.g. Vocatur Indorum Parochus (quod & in alijs contingere potest) ut Confessionem ægrotantis audiat, in cuius domum ut vadat fluuius trajiciendus est, cuius est valde periculosa traectio; & si in eo Parochus pereat, ægrotus pariter sine confessionis iuuamine remanebit. Videtur quidem tunc obligatio cessare, quia est genus quoddam impossibilitatis. Secus esset, si post auditam Confessionem, esset necessaria traectio ob insequentem hostes, vel si ægrotus contagio laboraret. Hinc Doctores de Parochis etiam agentes, & eorum obligationem cum periculis dictis asserentes, addunt: Si modo speretur remedium profuturum. Ut videri potest apud P. Palaum supra num. 13. & Bassæum §. Porro, id dilucidè attestantem, & in proprijs terminis.

Temperatur doctrina, quando est certa subuentio: non obstante periculo.

Cardinalis Toleti doctrina de probabili

75 Nec aliter accipiendum, quod ait Cardinalis Toletus supra num. 2. verbis illis: Si sibi

probabili profectu ut accipiendâ.

probabile est profuturum. v.g. Est aliquis in mortis articulo, quem probabiliter scio non habere contritionem, nec esse confessum; si tamen ergo, qui Sacerdos solum illi adsum, cognosco illum probabiliter confessum, & saltem illum atterendum, teneor illum audire etiam cum periculo vitæ meæ temporalis: puta, si forte inimici insequuntur, quia tempus est belli, vel si forte illo labores peste, vnde contraham, si accessero &c. Probabile namque pro verosimili accipit, quod mihi profectò tale videatur, vnde & determinatum iudicium circa futurum euentum habeam: quod certè tale esse non potest, quando periculum est dicti generis. Quis enim determinatè proferat se traecturum fluuium, & ad ægrotum pertenturum? Cumque circa illud esse probabile iudicium nequeat, ex eo sequitur neque de profectu in adeundo infirmum posse tale iudicium efformari. Quod ergo citatus Cardinalis de inimicorum infectione ait, & periculo inde imminente, sic accipiendum, ut talis infectionis damnum post auditam Confessionem sequatur: si enim periculum certum ante Confessionem immineat, idem est quod de fluuij traectioe dicendum. In peste autem id est manifestius, quia nocuentum illud ex Confessione suboritur, licet periculum antecedit. Quod si contingat antequam ad infirmum laborantem peste perueniat, Parochum in periculum infectionis incidere ex corruptione aëris, ita ut nocuentum antecedit: nihilominus obligatio audiendæ Confessionis vrget, quia eo nocuentum non obstante, certum est posse Confessionem audiri, eò quòd infectio non intermit ea celeritate, quæ flumen, cursum penitus impediendo. Et id quod de flumine est dictum, de præcipitijs etiam in itinere occurrentibus est dicendum, si noctu iuxta illa incendum sit & de similibus: valde enim terribilia huiusmodi mortis genera sunt, nec credendum ad illa charitatem aut iustitiam obligare: sicut neque Parochum cum tali onere velle officium Parochiale subire: vnum ergo damnum, cum ex defectu Confessionis tantum immineat, non est illius remedium ita tentandum, ut illud, & aliud etiam satis terribile, subsequatur; mors inquam Confessarij flumine aut præcipitijs deuorata.

Casus specialior.

Parochum non teneri ad abscedentes probabiliter se conferre non audiat.

Quid cum illis faciendum.

76 Dico quarto. Parochi Indorum non tenentur sub mortali ad audiendas Confessiones eorum ire, qui nolentes habitare in oppidis, in quibus commodè possunt, longius abscedunt, licet eorum reductionem teneatur procurare. Ratio est: quia obligatio talis non est iustitiæ: hæc enim tantum obligat pro Paraciæ terminis, & tali habitationis modo, quo possit omnibus opportunè succurri: Neque charitatis, quia hæc nequit esse obligationi iustitiæ contraria: atqui Parochus tenetur non deesse ijs, qui in populo sunt, idque ex iustitia, quod nequit cum illa absentia componi. Secus autem accidit, cum populi multi vnus Paraciæ sunt: ad id enim necessitas nota compellit, & omnes illi pro vno diuersos habente vicus reputatur. Quid ergo tunc faciendum? Præmonendi ergo Indi ne secedant, quia illis non poterit Parochus, cum mors immineat, adesse: sic enim non obtemperantes sibi ipsi debent damnum imputare. Deinde ij, qui vocaturi veniunt Parochum, instruendi sunt ut ægrotum ad habendum dolorem de peccatis ex-

citent, de diuinâ misericordiâ confidendo, ipsi, quod in se est faciendum, minimè defuturam. Præterea ut quàm possint commodissimè ægrotum ad se adducant, quod Indi facere indultè solent. Nec timent inde irregularitatis incommodum, quia cum id non sit faciendum, nisi volente & consentiente ægrotò, salutis æternæ sollicito, quam & Parochus modò illo deliderat, nullum ex eo irregularitatis potest periculum emergere, iuxta sententiam multorum dicentium non contrahi illam ab eo, qui hortatur alium ad ponendam vitam pro virtute, aut vertere ægrom, qui ex eo citius moriturus animo tamè accelerandi mortem, & transmutantem eum de lecto in lectum, aut præbentem cibum & potum. Pro quo videri Auctores possunt apud Dianam Parte 3. Tract. 5. Resolut. 79. & Parte 5. Tract. 3. Resolut. 117. & addendus P. Sa verb. Irregularitas ex deformitate licita num. 4. & maxime ad rem qui iacentem in via lethalius vulneribus sauciunt, leuari curat, & dum erigitur, expirat. Quod licet negauerit P. Comitulus Lib. 6. Quest. 52. & tres alij cum ipso, asseruit tamen alius, pro quo & facit auctoritas Sacerdotis sic monentis, in quo erat cum pietate doctrina, quod & alij postea secuti sunt, ex quibus citatus Diana, & ante eum P. Filiucius Tract. 19. num. 278. In nostro ergo casu ægrotus pro salute æternâ periculo se mortis exponeret, & ita pro virtute; vnde qui ad id exhortaretur aut operam nauaret, ab irregularitate esse immunis; cum aliàs ea etiam concurrant, de quibus dictum, ut satis probabilibus fundamentis talis Parochus, dum dicto modo agit, innixus videatur. Cum præterea nihil, nisi volente infirmo, faciendum sit, & ex parte Parochi vis interueniat nulla, aut temerè quidquam attentetur.

Irregularitatem non contrahi ex actibus charitatis, & exhortatione ad illos.

77 Dico quinto. Parochi Indorum in audiendis Confessionibus non debent esse contenti simplici eorum narratione, sed paternâ pietate erga illos se gerant, monentes semel & iterum ne peccatò aliquod, pro quo verecundantur, occultent, secreti obligationem inculcantes, & amore, quo eos diligunt, ex reuelatione cordis sui ardentiorum futurum, eo quòd fragilitatem eorum notam habeant, & fallacias diaboli. Quod quidem maxime necessarium est, & præsertim in morti proximis, attentâ Indorum indole: vnde ratione defectus in huiusmodi diligentia, graue potest peccatum inueniri. Quod quidem iuxta communem Doctorem assertionem procedit, qui dicunt Confessarium omne id agere debere, quo Deo Pœnitens reconcilietur. Pro quo Eligius Bassæus audiendus verb. Confessarius 4. num. 17. §. Octauo, Si. Vbi sic loquitur: Quamuis Confessarij officium sit audire potius Pœnitentem, quam interrogare, ut notat Dominicus Sorus in 4. dist. 18. quest. 2. artic. 4. quia tamen scopus illius est animam illam Deo reconciliare per medium à Christo institutum, tenetur sub peccato mortali omnia media adhibere ad finem istum necessariam, inter quæ est integritas Confessionis, quam per interrogationes procurare debet. Sic ille. Apud quem §. Secundo, in Confessario duo illa carmina occurrunt ex D. Thoma desumpta in 4. dist. 17. in Expositione Textus in fine, quibus Confessarij qualitates exprimentur, quod scilicet debeat esse.

Assertio 5. In ista Confessione ut se gerere Indorum Confessarius debeat.

Confessarij ex officio ad quid tenentur.

Eligius Bassæus.

Illius qualitates.

Confessor dulcis, affabilis, atque suavis
Prudens, discretus, mitis, pius atque benignus.
Quæ quidem in Confessariis Indorum elucere
quammaximè oportet; sin minus, reconciliare
eos Deo non poterunt confessionis beneficio,
vnde grauium criminum rei cum eisdem dam-
nationis periculo subiacebunt.

C A P V T VI.

Indorum Parochis quæ obligationes
circa Sacramentorum aliorum ad-
ministrationem incumbant.

Aſſertio 1.
In diebus
communio-
nis ebrie-
tatis occa-
ſiones ſub-
monenda.

1. Cor. 10.
v. 20.
& 21.

v. 22.

Aſſertio 2.
Tenentur
Parochos ad
exactissi-
mam in-
structionem.
Et qualis
in ſpeciali
ſumitur.

78 **P**ro Eucharistia conſulantur dicta
in fine Cap. 2. & locis ibidem citatis,
pro quo item
Dico primò. Cùm Indi in præcipuis festiui-
tatis communicare soleant, eorum Parochis
maximè curandum est, ne in diebus huiusmodi
occafiones ebrietatis occurrant, sed ad Ecclesiam
vocandi, & deuotæ sunt iterandæ cantilenæ, ne
eodem die, quo Calicem Christi gustant, quoad
rem quidem contentam in eo, licet non quoad
modum, gustent etiam calicem Dæmoniorum,
quod Apostolus 1. Cor. 10. v. 20. & 21. cau-
endum monuit dicens: *Nolo autem vos Socios fieri
dæmoniorum: non potestis Calicem Domini bibere, &
Calicem dæmoniorum: non potestis mensam Domini par-
ticipes esse, & mensam dæmoniorum.* Notabilis pro-
fectò altissimi Sacramenti ea videtur iniuria, quam
debet Parochus amoliri: & si quidquam eo incio
huius generis accidat, non debet impunitum re-
linqui. *An amulamur Dominum?* subdit Apoſto-
lus, v. 22. *Quod sic licet accipiamus: vbi æmu-
latio, vbi zelus pro Dei honore, si hic non
exardefcit?*

79 Dico secundò. Parochi Indorum tenentur
ad exactissimam instructionem circa hoc Sa-
cramentum. Constat ex generali obligatione:
quod autem exactissima circa hoc esse debeat, ex
eo quòd, si talis non sit, grauissimè possit circa
illius fidem & vsum offendi. Exactissimam autem
dico, non absolutè, sed comparatiuè, respectu scilicet
eorum, de quibus agimus, quibus fat. erit
credere in Hostiâ & Calice esse Christum, sed
non prius quàm sacerdos in Missâ verba Conſe-
crationis proferat: & eundem, qui in Hostiâ
esse in minoribus illis, quæ pro communicanti-
bus consecrantur, Vide P. Dicaſtillum *Tractat. 4.
Disput. 10. numer. 126. & 127.* de Peruanis in
specie loquentem, cùm generali doctrina. Sic
iplum voluisse pro magno fidelium bono, vt
amoris argumentum exhiberet, & pignus gloriæ
daret. Accipiendum præmissa mortalium pecca-
torum confessione, & aliter grande committi
peccatum, & accipientem debere ieiunium.
Aquam, quæ post Communionem datur, non
esse Sacramentum, aut aliquid illius, sed ideo
dari, ne quidquam ex accepto Sacramento in ore
resideat. Nam & hoc infantibus istis exponen-
dum est, circa quod errare aliquorum potest pu-
silla capacitas, dum in ætatem non euadunt plen-
itudinis Christi; quod & condonandum ipsis
nam & nos infirmi fuimus in hac parte; & serò
ad perfectionem notitiæ peruenit conuersa Gen-

tilitas. Sunt multi eorum, vt aliàs adnotui, Eu-
ropæis plurimis in diuinorum scientiâ neutiquam
inferiores: & id agitur, vtinam ferid ab omni-
bus, vt similes nobis in ea euadant, sintque omnes
docibiles Dei, quod ab Isaia dictum *Cap. 54. v. 13.*
& implendum circa Eucharistia: mysterium tes-
tatur Dominus. *Ioan. 6. v. 45.* vbi de illo plenius
differebat.

1ſa. 54.
v. 13.
Ioan. 6.
v. 45.

80 Dico tertio. Parochi Indorum tenentur
sub reatu mortalis culpæ Paracianos suos Dispo-
nere ad receptionem Confirmationis. Ratio est
elara; quia ius habent ad illud, quidquid de obli-
gatione sit, & eo ipso quòd suscipere velint, con-
sequenter instructi debent accedere, atque ius
etiam habent, vt à Parochis suis eam requirant
instructionem, quæ pro dignâ sufficiat receptio-
ne. Nec valet si dicatur id ad Episcopum per-
tinere, ad quem & collatio Sacramenti: nam E-
piscopi Indiarum ordinariè id præstare nequeunt,
quia neque Indorum linguam callere solent, ne-
que diutius apud Confirmandos residere. Præ-
terquam quòd ex collatione ad Episcopum spe-
ctante non infertur ad eum omnimodam dispo-
sitionem spectare; quemadmodum ad ipsum spe-
ctat collatio Ordinum, cùm tamen dispositio ad
illos aliunde supponatur. Ideò namque Episco-
pis inferiores Pastores dantur, vt sint pro eorum
muneribus adiutores. Sufficiet autem Indis si
sciant Confirmationem esse rem sanctam à Chri-
sto institutam ad firmandos Christianos in fide,
vt resistant veneficis, & seductoibus, ministris
diaboli; iterari non posse; quod inculcandum,
quia solent Indi sapius ad illud recipiendum ac-
cedere: atque ad tale Sacramentum suscipien-
dum debere in statu esse gratiæ, contritione, aut
Confessione præmissa. Quia verò Indis commu-
niter difficile est contritionem habere, ad Con-
fessionem excitandi sunt. Sed quia probabile est
per Confirmationem posse primam gratiam ha-
bereri, si quis bonâ fide cum dolore peccatorum
accedat: si Confessionem commodè præmittere
nequeant, ad contritionem sunt permouendi, ex
quo saltem habebitur vt attritionis actum eli-
ciant, qui sufficiens erit dispositio, accedente, vt
dixi, bonâ fide. Debet etiam Patrinos huius Sa-
cramenti in libro adnotare, sicut in Rituali Ro-
mano disponitur. Circa quod obseruandum in
Appendice prædicti Ritualis ex Toletano addita
pag. 413. dici cognitionem spirituales in hoc
Sacramento contractam non egredi Confirman-
tem & Confirmatum, & huius patrem & ma-
trem. Vbi de Tenente mentio nulla est, inter
quam etiam & Confirmatum ac eius parentes
spirituales cognitionem contrahi determinat
Concilium Tridentinum *Sessio 24. Cap. 2. de
Reformatione Matrimonij.* Pro quo videri potest
P. Thomas Sancius *Lib. 7. de Matrimonio Disput.
54. numer. 10.* Videtur ergo in citato loco defe-
ctus manifestus, cùm ad Concilij Decretum re-
missio fiat, & non speciale aliquid circa Hispaniæ
consuetudinem indicari. Expediit autem vt Indi
Patrini non sint, ne impedimenta Matrimonij
multiplicentur, sicut in Patrini Baptismi Con-
cilium Limese tertium præcauisse vidimus *num.
60. & seqq.*

Aſſertio 3.
Obligari
grauiter ad
disponendos
Indos pro
Confirma-
tione.

Notandum
circa cog-
nationem
spiritua-
lem.

81 Sacramentum Extremæ Vnctionis ad
Parochorum curam omnino pertinet, vnde pro
illo,

illo, præter dicta Titulo 12. Cap. 12. vbi & ipso-
rum obligatio declarata.

Aſſertio 4.
Tenentur
Parochos
Extremam
Vnctionem.

Et etiam
offerre. &
hortari ad
illum.

Concilium
2. & 3.
Limese.

Dico quarto. Parochus non solum ex gene-
rali obligatione tenetur Indis Sacramentum Ex-
tremæ Vnctionis conferre, si videlicet aliquomo-
do petant, saltem interpretatiuè, ex eo quòd ita
affecti erga saluationem sunt, vt si memoriæ oc-
curreret, omnino peterent: sed ex speciali etiam
offerre, & nihil de eo curantes ad illius suscepi-
tionem adhortari. Primum tenent communiter
Theologi, pro quo videri potest P. Gaspar Hur-
radus *Tractatu de Extrema Vnctione Difficult. 12. in
fine, Diana Parte 5. Tract. 3. Resolut. 83.* & alij &
videtur ita certum, vt inde orta sit grauis inter
Theologos difficultas, eisdem diuersimodè sen-
tientibus, an scilicet talis obligatio virgeat, etiam
cum periculo vitæ, vt tempore pestis, & sic aliàs:
& qui negant, & videri apud Dianam possunt
suprà & etiam Resolut. 93. non vnâ exceptio-
nem adhibent, & ad id reducitur, vt si receptio
Sacramenti ad salutem æternam ægotantis vi-
deatur necessaria, non possit illud ob mortis peri-
culum denegari. Secundum autem ex iis quæ dixi-
mus Titulo 12. numer. 355. & ex modo allatis
constat: nam Indis ob defectum capacitatis de-
esse necessarius dolor in Confessione potuit, &
sic statum conscientie non fuisse immutatum,
postea tamen talis excitari potuit, qui cum Sa-
cramento Extremæ Vnctionis satis fuerit ad eor-
um justificationem. Potest ergo æterna multo-
rum salus in huiusmodi administratione consiste-
re: quod cùm frequenter accidere queat, pecca-
bunt grauius Parochi, si tale negligant subsidium
exhibere.

82 Pro quo & extat Concilij Limesis Se-
cundi Decretum *Sessio 13. Cap. 75.* à Concilio
tertio innotatum *Act. 2. Cap. 28.* cuius hic est tenor:
*Extremæ Vnctionis Sacramentum nulla ratio
patitur Christianis morbo periclitantibus denegari: ne
ergo post hac quorundam Parochorum desidia frivola de
hoc excusationem prætereat, innotato Superioris Synodi
Decreto, strictè mandamus omnibus Indis fidelibus, atque
Eshopibus, per suos Parochos, suo tempore peniten-
tiam ostendentibus, hoc Sacramentum administrari: at-
que inter cetera à Visitatoribus diligenter de hoc inquiri
pœnasque arbitrio Ordinarj negligentiis imponi. Hec
Concilium. Vbi cùm ostentionem penitentiae
requirit verbis illis, suo tempore penitentiam osten-
dentibus, ex eo colligi nequit, eum, qui subito
morbo corripitur, & sensibus destituitur, hoc esse
Sacramento defraudandum: si enim manifestè
in statu peccati mortalis non sit, non est illi de-
negandum, vt in Rituali Romano dicitur, & est
communis Doctorum sententia, qui videri apud
Dianam possunt *Parte 3. Tract. 4. Resolut. 171.*
vbi cum aliis id extendit ad tempus Interdicti, de
quo & *Tract. 3. cir. Resolut. 84. & 89.* Verum est
tamen Doctores omnes de necessitate non loqui,
sed tantum asserere id licite fieri posse. Zambra-
nus tamen de Sacramento Extremæ Vnctionis
Cap. 5. Dub. 2. num. 3. Syluius, quem adducit &
sequitur Bassæus verb. *Exaroma Vnctio 2. num. 3.*
5. Adverte, & alij, necessarium esse affirmant, &
duo postremi etiam cum periculo vitæ. Conci-
lium ergo iuxta Rituale exponendum, pro quo
& Concilium ipsum Tertium *Actio eadem Cap.
37.* Et videnda quæ diximus *num. 19.* vel de o-*

stenfione interpretatiua penitentiae, de qua nu-
per. Quòd si aliquantulum dubitent, sub condi-
tione ministrent, sicut aliàs licet, & habetur in
Ritualibus, & de pueris, de quibus dubium est an
vsum rationis habeant, docent Doctores, quos
citatur & sequitur Diana *Tractat. 3. cirato Reso-
lut. 85.*

Restat Sacramentum Matrimonij, circa quod
multa diximus Titulo 12. Cap. 14. & ad doctrinæ
complementum

83 Dico quinto. Parochi Indorum pro ad-
ministratione huius Sacramenti, eo modo, quo
administratio ad ipsos spectare potest, nihil possunt
à contrahentibus exigere; iuxta dicta *num.
21. & 22.* & si exigant, ad restitutionem tenentur;
quia præter simoniacam labem, genus rapinæ est,
dum ab inuitis extorquetur. Non posse etiam
oblatum recipi, ex *ibidem* adductis constat, cùm
moderatione adhibita. Vbi si pecunia intrerue-
niat in ipso administrationis actu, aut quid simi-
le, eadem videtur restitutionis obligatio: rarè e-
nim Indi hæc vltro faciunt. Si autem post actio-
nem sacramentalem aliquid miteratur; accipi
sine scrupulo potest, quia vltro neque est, vt potè
ad nuptialem solemnitate spectans, & non sine
mittentium offensione posset repudiari. Et pro
prædictis faciunt duæ Declarationes Cardinali
in Recognitione Ioannis Gallemart circa *Cap. 1.
Sessio 24. de Reformat. Matrim.* quarum prior
sic habet: *Perenti an ob difficultatem exigendi id,
quod Parochus debet ante benedictionem ex laudabili
consuetudine, possint cogi coniuges ad illud deponen-
dum contra Abbatem, in Cap. Ad Apostolicam n. 2.
& 4. in fine, Congregatio respondit, petitioni indigne
non esse respondendum.* Erat ergo indigna Parochi
petitio; quia nihil tale ante benedictionem exigi
potest. Posterioris tenor sequens est: *Congregatio
Concilij censuit consuetudinem ab his, quorum nuptie
benedicuntur, aliquid recipiendi, demum esse obseruan-
dam, si ab initio pro fidelium voluntate, nullâ ex-
actione aut compulsionem fuerit introducta, & nec etiam à
sponse dantibus quidquam recipiatur antequam benedi-
ctionem Sacerdos liberè fuerit impetratus.* Hæc Con-
gregatio, causâ præsentis, iuxta nuper dicta,
penitus adaptanda.

Parochos
pro his qui
ad Matrimo-
nium
spectant,
nihil exi-
gere posse.

Dua pro
eo Cardi-
nalem
Declarationes.

Aſſertio 6.
Ritus Ro-
manus
cum Indis
exactè ser-
uandus.

84 Dico sexto. Ritus nuptiarum in Ma-
trimonijs Indorum exactè obseruandus, sicut in
Matrimonijs Hispanorum quoad omnia, quæ in
Ritualibus Romano disponuntur. Probatur ex di-
ctis *cir. n. 19.* Concilium etiam Limese de illis
specialiter loquitur: Licet autem aliqua non vi-
deantur magni momenti, & ita neque omisso
lethalis, alia autem grauiora sunt, vt quòd secun-
dæ nuptiæ non benedicantur, quando vidua nu-
bit iam aliàs benedicta. Quòd autem sponsus
prior de consensu interrogetur, vt Romanum Ri-
tuale præscribit, non videtur in Hispania, & con-
sequenter in Indijs obligare, quia in Appendice
Ritualis prædicti, ex Manuali Toletano & Hi-
spaniæ veteri vtu, contrarium proponitur aucto-
ritate supremi pro istis Commissarij. Ellicet in
Præfatione dicatur, nihil contrarium Rituali Ro-
mano in Appendice apponi, sed quædam addi
ad maiorem recipientium Sacramenta vtilitatem
illius Rubricis conformia, cui protestationi præ-
dicta contrarietas videtur obſtare, & ita non esse
id quod additur, admittendum. Stat nihilominus

Quadam
contrarie-
tas ex Ap-
pendice
Ritualis
Toletani.